

§. IV.

ALIORVM OPERA AB SE VERSA:

I. **L**ibro de San Juan Climaco, llamado Escala Espiritual, nuevamente romanizado, i con anotaciones a los cinco primeros Capítulos. Nuncupavit Catharinae Reginae Portugaliae. Hic Climaci Liber, qui Graece primum scriptus fuit, deinde ad Latinam linguam versus, prius quidem obscure et barbare, dein vero admodum concinne ab Ambrosio Camaldulensi Monacho, Italice iam redditus erat, immo et bis Hispanice; verum tam inornate et incomposite, ut motus fuerit noster Granatensis eum de novo, Idiomate hoc donare, quod feliciter faulsteque adsequutus fuit, adiutus commentariis Dionysii Carthusiani, qui etiam hunc Librum illustravit. Praeter duas anonymas versiones, eadem lingua Hispana aliam ediderat Iohannes de Estrada, vulgo de la Madalena, Ordinis nostri, quae Mexici procusa fuit in Officina Iohannis Pablos 1532. quo anno primum Artem Typographicam in eam urbem, auspice Antonio de Mendoza Prorege, inuestam ferunt, primumque hoc opus ex ea excusum, et a primo Americae regionis Typothera, ut Auctor est Augustinus Davila Padilla ex nostro sodalicio in Hist. Prov. Mexicanae Lib. II. cap. 57. pag. 670. Etsi autem Estradae versio fuerit satis superque luculenta, nihil est dubium, esse pluris aestimandam quam noster Ludovicus adornavit; hincque factum est, ut multò plures editiones nacta sit, quarum primam adligat Echardus ad annum 1564. Recusa fuit Salmanticae, apud Matthiam Marès 1569. in 8. * in Collegio Orclitano. Pinciae, Didaci Fernandez de Cordova 1583. in 8. * Compluti 1596. in 12. Matriti, Ioh. de Costa in 8. pagg. 478. ex fide eiusdem Echardi. Tum Barcinone Iacobi Galvan 1598. 8. * in Fontinentana nostra. Et iterum Matriti, Ioh. de la Costa et Ioh. de Varillo 1611.

II. Contemptus Mundi, o menosprecio del mundo. Opus de imitatione Christi vulgo inscriptum, et a Thoma Kempensi, Canonico Regulari S. Augustini, viro supra laudes, concinnatum. Prima eius vulgaris versio in Hispania publicata fuit idiomate

nostro Valentino edita a Michael Perez sub hoc titulo: *Explicación de Latí en Valenciana lengua, del Libro de Mestre Joan Gerson, Cancellér de Paris* (erat tunc temporis multis persuasum, hunc verum fuisse auctorem) *de la imitació de Jesu Christ, e del menyspreu de aquest mon miserable.* Valentiae, 1491. in 4. * quae editio elegantissima ac supra fidem rara penes me est. Aliam deinde interpretationem lingua Castellana anonymus quidam publicavit, Calari in Sardinia, apud Vincentium Samberinis 1567. in 12. hancque fuisse, quam suscepit reformandam Granatensis suspicatur Antonius T. II. pag. 271. col. 2. sed cum multo ante hunc annum, ut statim patefiet, suam foras dederit noster Ludovicus, aliam fuisse satis demonstratur. Ut ut sit, quam in manus sumsit, non solum limavit correxique, verumetiam renovavit.

Inter plures, quae circumferuntur editiones, hae mihi notae: Valentiae, Antonii Sanahuja 1558. in 16. * quam in usu habeo. Matriti, 1567. in 16. exstat in Regia Escorialensi. Salmanticae, Vincentii de Portonariis 1569. in 8. * de nuevo añadido un Tratado de Oraciones i ejercicios de devocion del mismo Fr. Luis. Antuerpiae, formis Plantinianis 1572. quae editio apprime elegans. Compluti, apud Sebastianum Martinez 1586. in 8. cum eodem *Tractatu Orationum*, etc. * in Bibliotheca Maiansiana. Matriti, Viduae Quirini Girardo 1586. in 12. Ibidem, Petri Madrigal 1599. 16. cum eo ipso *Tractatu*. * in Bibliotheca Archiepiscopali Valentina. Illerdae, 1614. in 16. et non 1514. ut est apud Echardum, ob Typographi oscitantiam. Laudatur haec editio a Canonico Sora fol. 122. suae *Biblioth. Caesarangustae*, Haeredum Petri Lanaja 1673. in 16. cum laudato *Tractatu*. * Matriti 1677. 16. curante nostro Dionysio Sanchez Moreno, qui addidit ad calcem *Tratado de las nueve peñas de S. Enrique Suson, i un Dialogo de Fr. Juan Taulero, ambos de la Orden de Predicadores.* Rursus ibidem, Ioh. Garcia Infanzon 1680. in 16. * apud nostros Valentinis.

De his versionibus nostri Granatensis loquens Bailletus T. III. *Fugemens de Savans* pag. 198. Num. 1034. haec habet: Louis de Grenade a traduit entre autres les *Libres* de la imitation de JesuChrist, y l'echelle sainte de Saint Jean Climaque, mais

avec une pureté, une netteté d'une élégante que sert de modèle à toute l'Espagne pour bien parler et bien écrire en cette langue; outre qu'on y apprend la piété avec l'art de parler, comme le témoigne le Pere Schot Jésuite, Dom Lancelot Benedictin, l'Abbe Ghillini, etc.

III. *Filomena de S. Buenaventura*. Opusculum hoc Seraphici Doctoris, non sine gustu legendum, et stili suavitate et elegantia cedro dignum (quod exstat T. VI. eiusdem *Operum* pag. 424. edit. Moguntinae 1609.) vertit *Granatensis* lingua *Hispana*, sed non integrum, ut fateatur ipse in *Prologo*, candide proferens haec verba: *Yo trasladè no todo, sino un pedazo de este Tratado en prosa, por no saber poner esto en verso Castellano, como elle buviera de ser*: eo scilicet quod Divus *Bonaventura* quibusdam concinentiis pepigerit. Versio nostri *Ludovici* adiecta fuit *Operi Addiciones al Memorial de la Vida Christiana*, *Salmanticae*, 1574. apud *Matthiam Gast*, in 8. et omnibus aliis editionibus, quae deinceps subsequutae sunt, eiusdem *Operis*.

IV. Fertur etiam quamdam *Historiam Ecclesiasticam* ex *Latino* in *Hispanum* Idioma transtulisse, de qua vide infra §. VII. *Opera anecdota*, Num. I.

§. V.

ALIENA SCRIPTA AB SE TYPIS PVBLICATA.

I. *Stimulus Pastorum*, ex gravissimis *Sanctorum Patrum* *sententiis* concinnatus, in quo agitur de *vita et moribus* *Episcoporum*, aliorumque *Praelatorum*. Opus bonae memoriae *Fr. Bartholomaei de Martyribus*. Prodiit primum *Romae* 1564. cura *S. Caroli Borromaei*, a quo acceptum noster *Ludovicus* mox excudi fecit *Olisipone*, *Francisci Correa* 1565. in 16. * cuius editionis titulum cum legisset *Bartholomaeus*, et in eo quidem se *Archiepiscopum Bracarensem* designari, non vero *Hispaniae* primatem comperisset, apud *Granatensem* de hac omissione conquestus est, ceu in *Ecclesiae* suae iniuriam vergente. Hinc novus titulus editus, haecque ratio est, cur in quibusdam eius editionis exemplis ea dignitas absit, in aliis ha-

habeatur restituta. Prodiit tertium *Romae*, curante *Fr. Francisco Cotta a Castilione* 1572. * et postea aliis in locis, ut refert *D. Malachias Dinguibert*, *Archiepiscopus Theodosiae* in *Praefatione* *Collectionis Operum* laudati *de Martyribus*, *Romae* a se in lucem emissae 1734. II. voll. in fol. mutuans a nostro *Echardo* T. II. ad annum 1590. pag. 297. col. 2. Sed uterque omisit editionem *Valentinam*, *Iacobi Bordazar* 1695. in 4. cuius iam meminimus supra §. I. Num. X.

II. *Compendium Doctrinae Spiritualis ex variis Sanctorum Patrum sententiis magna ex parte collectum a Fr. Bartholomaeo de Martyribus, Archiepiscopo Bracarense*, editum studio ac curis nostri *Ludovici*, qui et *Praefationem* addidit, *Olisipone*, *Antonii Riberii* 1582. in 8. Tum *Matriti*, ex *Typographia Ludovici Sanchez* 1598. in 24. *Parisiis*, *Guillelmi Chaudiere* 1601. 16. * et *Coloniae*, typis *Quentelii* 1622. ad calcem *Tomi* III. *Operum Granatensis*, in fol.

III. *Antonius Vanconcellius* in *Opere Anacephaloseon Auctorum Regum Lusitaniae*, loquens de Rege *Henrico* Cardinali, ac de quibusdam *Meditationibus super Evangelia totius anni*, quas laudatus *Henricus*, cum esset *Archiepiscopus Eborensis*, scripserat, haec habet. *Haec sunt illae Homiliae, quas primum vir egregie pius Ludovicus Granatensis in gratiam tanti Principis Lusitano sermone excudi iussit. Qua de re consule Mugnozium Lib. III. Vitae Granatensis cap. 4. fol. 182. b.*

IV. *Meditações de Christo*, quas *Lusitana* lingua ad usum proprium scripserat *Henricus* Cardinalis, *Ludovicus* noster edi curavit anno 1577. in 8. ut Auctor est *Nicolaus Antonius* Tomo I. *Bibl. Nov.* pag. 430. col. 2. Eisdem *Latinas* a se factas *Lovanii* prodire fecit *Antonius Senensis* noster typis *Servatii Sasseni* 1575. in 12. cum hac epigraphe: *Homiliae seu meditationes Henrici Cardinalis deinde Portugalliae Regis et vulgari Lusitano ab Antonio, etc. redditae, quibus V. Fr. Humberti de Romanis, Magistri Ord. Praed. Generalis V. Epistola, sive Tractatus de tribus essentialibus votis Religionis, et aliae conciones duae adiectae sunt. Consule Echardum T. II. ad an. 1585. pag. 272. col. 1. Porro laudatum Henrici opus, quod rursus puriori oratione versum ac una cum Granatensis Praefatione Eborae recusum fuit,*